



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vitae Sanctorvm

complectens sanctos Mensium, Ivlivm Avgvstvm & Septembrem

Lippeloo, Zacharias

Coloniae Agrippinae, 1603

Vita S. Stephani, Primi Regis Hungarorum; qui eos ad Christi religionem traduxit: Ex ea quam Chartuitius Episcopus, ad Colomannum Regem, eius iussu scripsit. Migravit è corpore, anno Domini millesimo ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42728

cum sempiterni nominis gloria operā com-
lisse. Huic autem Bernardo, omnibus maxim-
rum virtutum ornamentis decorato, nihil e-
rum defuisse videtur, in quibus singuli exce-
luerunt. Nos si cunctas illius virtutes, ac stupen-
da imprimis miracula, ab eo adhuc in viuis pa-
trata referre vellemus, nec iusto volumine cō-
plecti possemus.

*Tempus vi-
te eius.*

*Obitus viri
Sancti.*

Igitur consummatis in omni sanctitate vitæ
sue diebus, & annis circiter quatuor & sexa-
ginta, cū amplissimo animarū fructu foeliciter
expletis, dilectus Domini Bernardus, Clara-
uallensis cœnobij primus Abbas, aliorū quoque
amplius quàm centum sexaginta monasterio-
rum pater, tertio decimo Kalend. Septembris
inter suorum filiorum (quos in ipsa Claraual-
le, Domino seruientes, septingētos septuaginta
relinquebat) amplexus, & lachrymas, in Do-
mino obdormiuit; sepultus in oratorio B. Vir-
ginis: miraculorum quoque vita functus clari-
tudine conspicuus.

*Vide Notas.
C. Baron. in
Martyr.
Romanum.*

VITA S. STEPHANI, PRIMI REGIS

Hungarorum; qui eos ad Christi religionem
traduxit: Ex ea quam Chartuitius Episcopus
ad Colomannum Regem, eius iussu scripsit. Mi-
grauit è corpore, anno Domini millesimo trice-
simo quarto, 18. Kalend. Septemb. Hoc verò die
translatum est corpus eius.

20. Augu.

EA tempestate, qua Hungarorum gen-
Dei Ecclesiam populabatur, rebusque
omnibus miserandam valde vastitatem
inferebat, fuit in ea princeps quidam, cur-
tus ab eo, qui Hungaris in Pannoniam ingres-
surus

furis ducem se præbuit. Is Geisa dicebatur; homo ad Imperium natus, ac suos legum severitate devinciens: in Christianum aut nomen, quamquam paganismi adhuc erroribus implicitus, ingenio adeo clementi (occulta Christi gratia pectus eius dubio procul inhabitante) ut edicto proposito omnibus Christi cultoribus, non modo Ducatum suum incolendi liberam potestatem faceret, sed sacerdotes etiam, ac homines cælestis disciplinæ studiosos, quos Monachos vocant, in conspectum suum admissos, propenso animo audiret, ac libenter cum illis de Christi regno sermones cōferret. Quid multa? Suscepto demum fidei semine, undisque salutaribus cum suis expiatus, omnes suæ ditionis homines ad Christum perducendi cogitationes sanè ardentes suscepit. Cumq; anxio admodum animo de edomandis rebellibus, & sacrilegis ritibus abolendis, varia cum animo suo agitarer consilia, nocte quadam secundum quietem iuvenem eximia specie fulgentem conspicatus est: qui blanda voce curas istas & sollicitudines depulit; Facebat, inquiens, pia illa quidē, sed superuacanea sollicitudo. Nā tu quæ meditaris, propter manus humano sanguine pollutas, effectui mācipare nō potes. Nasce- tur autē tibi filius, qui Regis titulo & honore decorandus, divinæ providentiæ cōsilio id efficiet, quod tu animo concepisti. Hoc tantum impresentiarum tibi curæ sit, ut hominem spiritali apud te legatione functurum honorificè excipias; exceptumque reuerenter habeas; o- iusque monitis, sincerum pij pectoris assensum adhibeas.

Exper-

*Geisa Dux
Hungarorū.*

*Eius visio,
de nascituro
sibi filio.*

Experrectus Princeps ac visione stupet-
ctus, accitis ilicò præcipua pietate ac religio-
ne viris, rem totam exponit; & humi prostratus,
seque principatumque suum, cum nascitur
filio lachrymabundus Deo commendat. Ad-
mirante autem eo de viro diuinitus ipsi prædi-
cto, nunciatur illi, beatum Adalbertum, Boë-
mensis Ecclesiæ antistitem adesse; cuius aduen-
tus non modò ipsi Duci, sed omnibus nouis
Christi tyronibus tantam attulit læticiam, ut
læto agmine obuiam illi procederent, multique
honoribus acceptum, in opus Euangelij
deducerent. Is verò agrum iam antè subactum

*Adalbertus
Pragensis E-
piscopus Hū-
garos cōuer-
tit.*

mox lætissimo semine compleuit, vberisque
adeò fructus breui retulit, ut plurimum sibi
de optimè collocatis laboribus meritò glo-
riari posset. Interea ne quæ dubietas visioni
Duci oblata relinqueretur, etià eius vxor par-
turi iam propinqua, diuina planè meruit con-
solatione perfundi. Nam protomartyr Stepha-
nus, Levitici habitus ornatus insignibus, mani-
festè apparens, ita eam compellauit; Confide,
mulier, in Domino, & certa esto te filium pa-
rituram, cui primo huius gentis & regnum &
corona debetur. Tu verò nomen illi meum
imponito. Ego namque Stephanus protomar-
tyr, qui primus pro Christi nomine sanguine
profundi, eum meo tutabor patrocinio, & assi-
duis apud Deum precibus efficiam, ut regnum
illius florens, Christiana imprimis re egregie
diteatur.

*Nascitur
Stephanus.*

Hac visione, illustris matrona, gaudio pariter
& admiratione perfusa, tandem expletotem-
pore, in Oppido Strigoniensi filium enixa est;
quem

quem Ade-
phanum a-
duè virili-
tur Stepha-
nus inue-
imbutus,
& Adelbe-
rato, ad R-
bis favor-
adolecen-
prudente
firmumq;
posse, mo-
paganda
cum vici-
Christi f-
uangelij
gros Ch-
rent. Sed
uidencia
uit, pop-
fufcipie-
gentem
immani-
paucis v-
prorup-
Vesprim-
dione c-
phanus
confusus
de omni-
mi mo-
rum in-
tium co-

quem Adelbertus sacro fonte expiatum, & Stephanum appellatum, ad luctam spiritalem strenuè viriliterque obeundam confirmavit. Igitur Stephanus, ut primum literarum studiis idoneus inuentus est, disciplinis optimis egregiè imbutus, tandem patre sanctissimè defuncto, & Adelberto in Prussia martyrij palma decorato, ad Regni gubernacula principum & plebis favore admotus est. Nec segniter, quâquam adolescens admodum, rem aggressus est. Sed prudenter secum statuens, regnum diu stabile firmumque sine diuini numinis cultu esse non posse, mox ad religionem longè lateque propagandam animum adiecit. Et primò quidem cum vicinis gentibus iuncto pacis fœdere, viam Christi sacerdotibus aperuit, ut liberè fata Evangelij spargerent, & multos ad eum diem agros Christianæ facundia vomere proscinderent. Sed totius boni hostis, malignitate & inuidia plenus, mox bella intestina excitauit, populumque gentilem à Christianis sacris suscipiendis non modò abduxit, sed etiam ad gentem Christianam internecione delendam immani furore concitauit. Itaque urbibus non paucis vastatis, prædisque abactis, eò dementiè proruperunt, ut Ducis in contumeliam, urbem Vesprium præ cæteris illi familiarem obsidione cingere non vererentur. Tunc verò Stephanus, Christi bonitate ac virtute egregiè confusus, collatis cum hoste signis, præclaram de omnibus victoriam reportauit; ea tamè animi modestia & prudentia, ut nihil de rebus eorum in suos usus cōuerterit: sed ex Dei amantium consilio, quò soli Christo tam præclaram victo-

*Christianis-
mum propa-
gat.*

*Edomas re-
belles.*

*Monasteriū
condit Ste-
phanus, in
honorem S.
Martini.*

victric laudem, sanctique Martini meriti
acceptam referendam declararet, iuxta sa-
ctissimi Præfulis fundum, qui sacer mons dicitur,
(Pannonia enim beatissimum Martinum
apud senatum gloriatur) monasterium insigni
opere visendum ex eorum facultatibus con-
struxit; possessionibus redditibusque sufficien-
tibus eidem assignatis.

Ita ergo hostibus sub iugum missis, Christi
miles gaudio spiritali perfusus, omnē ingenij
sui vim, ad Euangelicā veritatem consecranda,
præclare non minus quā viriliter cōtulit. In-
tenta namq; supplicatione die nocteq; diuinū
fatigabat numen, vt animi sui propositum cum
virtutū incremento ad finem optatum perdu-
ceret. Cū autem religiosorum hominum stu-
dia, quā maximē sibi necessaria esse præuide-
ret, per idoneos nuncios, literasq; amantissimē
scriptas, mentis suæ benignitatem, bonorumq;
omnium communionē illis proposuit, si vel-
lēt in eius ditiōe sedes figere. Haud frustra exi-
mia tanti Principis beneficentia diuulgata est.
mox enim presbyteri & alij cēlestis disciplinæ
amantes quā plurimi, relictis proprijs sedibus,
sub tam religioso Principe, in summa rerum
inopia viuere satius esse decreuerunt, quā apud
alios in summa bonorum affluentia. Inter
alios Astricus Abbas cū vniuerso cōetu suo eo
concessit, extructoq; ad radices Montis Ferrei,
cenobiū, in honorē D. Benedicti tā sāctis dis-
ciplinis locū illū excoluit, vt Dux eorū praci-
puē familiaritate, omnes militiæ suæ comites,
ad veri Dei cultū adduceret. Venerūt etiā duo
ē Polonia, eremiticę vitę cultores eximij; alter

*Astricus Ab-
bas, venit in
Pannoniam.*

Andreas

Andreas
Angelicus
pro Christo
Cumq;
succellu
decem Ep
polim Str
Astricum
sem Episc
constitui
diuino in
præsulen
pellant) a
garū dest
cessore, &
nē, & Ep
ret: Post
cohonest
eo fultus
gisque p
dem tem
nam con
eadem f
Et quidē
gio oper
dictione
creuerat
pietate
dem Hu
eum app
lius poss
nesicē c
dinandi
Omn

Andreas nomine, confessionis merito, choris Angelicis associatus; alter Benedictus; profuso pro Christo sanguine, martyrij palma laureat^r.

Cumque hoc modo Christiana res foelici successu multiplicata esset, ilicò prouinciã in decem Episcopatus distribuit; quorum metropolim Strigoniensem Ecclesiam esse voluit: & Astricum insigni prudentia Abbatem, Colocensem Episcopum, Canonica electione creatum constituit. Deindè quarto à patris obitu anno, diuino instinctu permotus, eundem Astricum præsulem, (quem etiam Anastasium quidã appellant) ad sanctorum Apostolorum limina legatũ destinauit, vt à Principis Apostolorũ successore, & recẽs cõuersæ Pãnoniæ benedictionẽ, & Episcopatuum confirmationẽ impetraret: Postremò, vt ipsum Ducem, Põtifex, regio cohonestaret diademate, legatio cõtinebat; vt eo fultus honore ceptũ salutis iter magis magisque promouere & constabilire posset. Eodem tempore Miesca, Poloniæ Dux, Christianam complexus fidem, missis Romam legatis, eadem ferè quæ Stephanus impetrare volebat. Et quidẽ Põtifex Miescæ salute gauisus egregio opere coronam cõfici curarat, quam benedictione de more munitam, eidẽ destinare decreuerat. Sed visione in somnis de Stephani pietate & futura in cõlis gloria admonitus, eadem Hungarorũ Apostolum (sic enim Põtifex eum appellabat) ornari voluit; cunctaque illius postulata non modò largè admodũ & benedicẽ confirmauit, sed & suas illi vices in ordinandis Ecclesijs concessit.

Omnibus ergò impetratis, Astricus antistes

Decem Hãgaric Episcopatus.

Miesca Dux Poloniæ sit Christianus.

S. Stephanus à Pontificè Apostolus vocatur, & Hungarorũ primus Rex ordinatur.

Sororem.

*Stephanus
ducit uxore
filia Henrici
Imperatoris.*

*Mariae vir-
ginis, apud
Hungaros
quanta ve-
neratio.
Cenobium
condit S.
Rex, Hiero-
solyms.*

*Romæ Cano-
nicorum Col-
legium.*

stes ad suos reuersus est; & Stephanus ea di-
nitate auctus, mox sobolis propagandæ cau-
Henrici Imperatoris (qui ob morum comi-
tem, Pius dictus est) ~~Filiam~~ Giselam nomi-
confortem sibi regni adsciuit, Fuit ea Regina
Regi in pietatis ac religionis studio non mul-
tum inferior. Quæ res omnibus & singulis re-
gni totius Ecclesijs, magno sanè ornameto
fuit. Porrò Rex, Præter alia innumera, Chri-
stiano populo & Dei ministris collata, regia
munificentia digna beneficia, in ipsa regis le-
dis ciuitate, quam Albam vocant, grandem &
insignem & inprimis celebrem, opere sancti
mirifico, celatis Chori parietibus & pauimē-
to marmore strato, Virgini Matri condidit ba-
silicam.

Porrò eiusdem Virginis (cuius in tutelam
& se & regnum votis precibusque conferebat)
festum Assumptioni eius sacrum, adeò cele-
bre in vniuerso regno reddidit, vt tacito pro-
prio nomine, sua lingua diem Dominæ appel-
lent.

Neque tamen præclaram adeò beneficen-
tiam, ardentissimamque pietatem, regni sui fi-
nibus cōclufit, sed in longinquas etiam regio-
nes, vrbesque celeberrimas diffudit, propaga-
uitque. Nam & Hierosolymis insigne mona-
chorum cenobium extruxit, & prædijs, vine-
is que dotauit. Et Romæ duodecim Canonico-
rum collegium, protomartyris Stephani dica-
tum honori, condidit, rebus vitæ degendæ ne-
cessarijs instruxit, & domos etiam hospitij
Hungaris, orationis ergò Romam confluenti-
bus, ædificauit. Postremò nec Constantinopo-
lim

Im quidem regiam urbem, suae liberalitatis expertem esse voluit; sed eam quoque mirifici operis Ecclesia, rebus omnibus necessarijs regaliter instructa, honoravit.

*Ecclesiam
Constanti-
nopoli.*

Inter omnia autem caelestis gratiae munera, beato Regi diuinitus collata, nullum illustrius esse videtur eo, quam quo misericordiae opera, die nocteque sedulus exercuit. Praeter immensam enim pecuniae vim, & quotidianas expensas recreandis pauperibus destinatas, ipse nocturnis horis alacritate incredibili fidelium abluabat pedes, & eleemosynis in sinu pauperum absconditis, Christum inopem in membris eius consolari gaudebat. Quadam autem nocte, diuino permotus instinctu, cum veller crumenam nummis egregie refertam Christi pauperibus distribuere, illi pecuniae avidissime inhiantes, beati viri barbam euulserunt; ea improbitate illius meritis testimonium perhibentes. At ille eam iniuriam non modò tulit hilariter, sed gaudio etiam ingenti perfusus, Virgini Mariae gratias agebat, quòd dulcè ad eò contumeliam, pro beneficio retulisset. Ceterum, quanquam multa quotidie per se, plura tamen per Christi seruos & familiares, ac precipue Guntherum diuinum eremicolam, & Gerardum ex monacho Episcopum, ac postea martyrem, erogabat. Nec praetermittendum, quòd multorum inopiam, insita charitate non modò subleuauit, sed etià varias corporis calamitates morbosque pane, vel pomo, medicinae loco à se missis, profligauerit.

*Admiranda
eius in pau-
peres benigni-
tatis.*

*Multos sanos
agros.*

Defuncto autem beati Regis amico, Romanorum Imperatore Henrico, Conradus, una

Qq

cum

*Conradus
Imp. molitur
bellum in
Stephanum.*

*Precibus a-
seruit à se
immane bel-
lum.*

*Eius multe
effusiones.*

cum Imperio, immane in sanctum Regem diu suscepit, & viribus totius Germaniæ, & pijsque cōtractis, infesta Pannoniæ signa infere conatus est. Tum verò Rex Stephanus, totius Hungariæ exercitu instructo, antè quàm magna pro patriæ defensione explicaret, supplicat ad virginem Matrem abiit, votis precibulq; ab ea cōtendens, vt si culpa pastoris, eā diuini iudicij mereretur iram, ipius lueret: oues verò insontes ne pateretur affligi. Hæ preces cū lachrymis non frustrà missæ sunt. Expleta namq; oratione, cū in hostes fidenter moueret, alter die nuncius, ad singulos quosq; exercitus Germanorum Duces, cum Imperatoris venit literis, quæ pedem retrò referre iubebant. Illis ergò discedentibus, sanctus Rex diuina se adiutum misericordia sentiēs, humi se abiecit, gratias agit Deo, & sanctissimæ Genitrici eius, cuius protectioni, seque regnumq; suum assidue precibus commendare solebat. At Imperator suorum tam repentina defectione perterritus, sciscitatur quidnam rei ipsis accidisset; audiēque de nuncio, qui eos ipsius nomine redire iussisset, sciensq; eum à se handquaquam missum fuisse, non dubitauit consilio & voluntate omnipotentis Dei rem gestam, ob fidelissimi Regis corroborandam spem; seq; deinceps ab eius inuadendo regno, timore illius Iudicis æterni, cohibuit.

Porro Rex pientissimus, quanquàm cunctis adornatus virtutib⁹, & sanctitatis etiā opinione celebris, nequaquam tamē tribulationū expers fuit. Tribus annis admodū continuis, aduersa valetudine laborauit. Indè nō sinē diuina ope

ope sanitati restitut⁹, filijs charissimis & omni
penitus regni hærede orbatus, grauiora æterni
Iudicis flagella perçensit. Quæ licet acré sanè
doloris sensum ei inurerent, mox tamè animū
ad Dei voluntatē præclarè admodum compo-
suit, & maioribus quoq; excellētiorib; piē-
tatis operibus strenuè incubuit. Christū sem-
per in ore, Christum in corde, Christum in cū-
ctis actibus suis circumferebat. Politicā regni
sui gubernationē ita administrabat: vt diurnū
quidem tempus colloquijs & cōsultationibus
impēderet; nocturnas verò horas in vigilijs &
precibus cū profuso lachrymarū imbre transfi-
geret. In rebus autem discutiendis ferēdisq;ue
sententijs, antè omnia extremū iudicij diē sibi
antè oculos statuebat, & æternū illū omnium
Iudicē non rarò totus lachrymis infusus roga-
bat, vt incorrupta & vera iudicia ferre posset.

Hęc aliaq;ue sanè egregia pietatis & iustitiæ
opera quanquā vniuerso populo eum mirifi-
cè charum redderent, non potuere tamè ab in-
uidia quorūdam vindicare. Erant viri qua-
tuor, præcipua inter omnes nobilitate conspi-
cui, qui inuidentiā & perfidia pleni, iniquū
inter se consilium iniērunt, vt Regem optimū
& pientissimum vi morbi, in quem inciderat,
lecto affixum è medio tollerent. Iamq;ue tene-
bris circa vesperū paulatim ingruētibus, vnus
scelere & audacia antè alios insignis, nudo sub
chlamide ferro, Regē iugulaturus, pedetentim
gradum in cubilulum inferebat. Sed celesti re-
uerà impulsu gladius ei excidens, simul cū tin-
nitū, Regem futurorum haud ignarum excita-
uit. Cumq;ue voce intrepida causā illius so-

*Quatuor viri
primarij, in
eius necem
conspirant.*

nitis perquireret Rex, parricida tremebūdo agnoscit cōsiliū scelere & amentia plenum dolet, accedit propius, procūbit in genua, Regis amplexatur pedes, scelus confiteatur, petenti parricidij veniam. Rex pientissimus faciē ab eo non auertit, sed propenso animo, cūctis ad tantam Regis clementiam stupentibus, ignoscit; tres verò alios immanes parricidas, omni supplicio dignissimos, mortis sententia damnauit.

*Felix obitus
S. Regis.*

Dignus tandem, qui cælestis regni brauium ex Christi misericordia consequeretur, febre correptus est; tempusq; migrationis adesse sentiens, dispositis prudenter admodū in utroque statu regni sui negotijs sacrā percepit vnctionē: ac plenus gaudio & exultatione sanctā animam, corporis & sanguinis Christi viatico recreatam, circumstantibus cum Clero Episcopis, cū ministris Principibus & Comitibus, in solennitate Assumptionis Beatissimæ Mariæ, vti precibus à Domino contenderat, in manus Creatoris sui tradidit. Corpus eius fuit incredibili omniū plāctu, ad regiā urbē Albam perductum; ibidemque in æde Virginis ab eo constructa honorificē conditum. Vbi postquā annos quinque admodum & quadraginta marmoris pondere pressum, & in puluerem redactū, haud sinē miraculorum gloria quieuisset, Pontifex Romanus, corpora eorum, qui in Pannonia prima Euangelij semina sparsissent, eleuari mandauit. Sedebat tunc ad Reipublicæ gubernacula Rex Ladislaus; omni morum honestate conspicuus & virtutibus illustris; qui vt Pontificis mandatum ad maiorem Dei gloriam,

*Ladislaus
Rex Hungaria.*

nam, multarumque animarum & corporum salutem exequeretur, habito cum Episcopis & proceribus consilio, triduanum omnibus indicit ieiunium. Cumque totis viribus in id incumberent, & Christi misericordiam pro regni totius salute votis precibusque expeterent, tandem die tertio ad sacrum Regis corpus eleuandum processerunt. Sed nulla id arte, nullis viribus, nullis hominum coactibus id loco mouere potuerunt. Erat eo tempore grauis inter Ladislaum & fratrem eius Salomonem orta simulas, & quorundam scelere excitata seditio eorum deduxerat, ut Ladislaus fratrem in custodiam tradere coactus fuerit. Itaque dum in reliquijs sancti Regis eleuandis frustra fudarēt, quædam sacra virgo, quæ pietatis ergo apud Saluatoris ecclesiam inclusa manebat, (Charitasea dicebatur) Regi ex diuina reuelatione mandauit, ut, si vellet captum irritum conatu opus ad felicem exitum deducere, Salomonem e custodia liberum dimitteret. Rex Ladislaus Virgini optimè monenti, propter celebrem vitæ eius opinionem ilico paruit, & Salomone e carcere educto, rursusque triduanum ieiunio exacto, grande saxum sarcophago positum tanta facilitate sublatum est, ac si ponderis omnino nihil haberet. Ibi tum per sanctę eius amplitudinem, cælitus, tot tantaque corruptarum miracula, ut nemo omnino, quouis etiã morbi genere affectus, beneficiorum eius expers abiret. Cæterum venerandis reliquijs iam eleuatis, sola eius dextera cum annulo integra, & ab omni corruptione aliena inuenta est. Credo equidem diuini consilij altitudinem

*Corpus S.
Regis monere
non potest.*

Multa miracula in eleuatione corporis eius.

Dextera eius incorrupta.

hac re demonstrare voluisse, eleemosynæ studium omnes virtutum gradus transcendere. Merito namque sancti Regis dextera corruptionis mansit expers, quæ semper misericordiz floribus reuiuiscens, ad alendos pauperes nunquam muneribus distribuendis vacua fuit.

MARTYRIVM S. PTIVATI, EPISCOPI Gavalitani. Ex ea quæ est apud V. P. LAM. Surium.

21. August.
Cornelium
martyrio occubuisse scribit Baron.
anno 2. Galli
& Volusiani
Imp. Vide
Tom. 2. Anal. an. Christi 255 & 280. Not in Martyr. Romanum.

Mimet iugiter in crypta S. Prinat, Episcopus.

Quo tempore Cornelius Romæ, Cyprianus verò Carthagine, glorioso martyrio coronati sunt, repente omnes penè barbari, coniunctis quasi animis infesta Romanis arma intulerunt. Et quidē cum alij alias horrenda sanè strage provinciās popularētur, Alemanni transmissio Rheno, Gallias petierunt; non tamen virtute, quàm numero præualidi. Qui cum obuia quæque protererēt; tandem in Gavalitanæ regionis excidium, animos atque arma cōuerterūt. Quo cognito, loci illius incolæ in montē Gredonensem pro rei necessitate confugerūt; ut mōtis excelsi, natura magis quàm arte muniti præsidio, intolerandā hostis sæuitiā euaderent. Ei verò regioni siue ecclesiæ tum præerat sanctus Prinatus Episcopus; qui feruenti religionis & quietis studio sollicitus, in mōte quodam Mimatensis viculi, cryptam sibi grandi studio & eleganti opere confecerat; in qua vitam in consideratione rerum celestium agebat perpetuam; nisi ad celebranda pro more solēnia egrederetur.

Interea barbari dum regionem omnem populā-